

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 1055
	1053
	1059
	1049
lumen ejus. Et erat specus ista quasi schola contemplantium divina, in qua per tenebras corporales ducebantur ad coelestia contemplanda lumina: non sicut specus Acherusiae, quae, ut fertur, dicit ad inferos, quae non longe est ab Heraclea civitate; nec sicut specus Hyberniae, quae dicitur purgatorium sancti Patricii, in quam ingressi vident horribilia et phantasiis gravibus terrentur, ac si in infernum mergerentur, quod non divina fit virtute, nec miraculose, sed naturaliter et phantastice, quia dicit magister Heinrichus de Hassia, frater gen. allegans (b) magistrum Nicolaum Orem, clarissimum naturalium doctorem, quod in illo hiatu Hyberniae et in pluribus aliis sunt exhalationes et inspissatus aer, unde provenit, quod intrantes obdormiunt et de mirabilibus somniant et horribilia vident ita clare ac si vigilarent, et tamen dormiunt et prava dispositione loci et corrupti aeris in turgores rapiuntur et prius visa conscribunt tamquam miracula et recitant tamquam veraciter facta et tamen solum ex indispositione virtutis imaginativae eis contigerunt tamquam somniantibus, quae etiam in vigilantibus ostenduntur saepe.	1064
Consequenter de Tholas descendimus et ad monasterium aliud venimus, jam quidem parvum, olim autem admodum magnum, quod dicitur ad S. Cosmam et Damianum, qui, ut in eorum legenda habetur, de Arabia nati fuerunt, de qua regione etiam alii peritissimi medici exorti sunt. Ob quam causam credo eos hic in Arabia habere p[re]ae aliis sanctis monasterium. Porro hoc monasterium est in loco constructum, ubi amplius quam XIII millia hominum et septingenti percussi sunt a Deo, absque his, qui perierunt in seditione Corae cum Dathan et Abiram, ut habetur Numeror. XVI. In hoc enim loco dirupta est terra sub pedibus seditiosorum et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis et descenderunt vivi in infernum; quo facto mox complanata est terra, ac si nihil horum accidisset, ut habet magister in Speculo historiali. Ideo hujus disruptionis nullum nec vestigium videre poteramus. In hoc loco cum tremore stetimus severitatem et celeritatem divinorum judiciorum expavescentes, illi enim murmuratores stabant ad seditionem concitandam parati, nec timebant, et ecce, subito terra rupta est sub pedibus eorum; quis hoc audiens non timet? Simile legimus contigisse tempore beati Ambrosii in	1044
	1104
	1004
	0954
	0554
	0054
	Ende
	Anfang